



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Procopius M. 8. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Semper profice; noli in viâ remanere; noli retro redire; noli deviare. S. August. serm. 5. de verb. Apost.

S. PROCOPIUS M. 8. Iulii.

SAulum aut Saulo simillimum Neaniam vides: quippe à Diocletiano Alexandriam missus, quò Christianos illic excinderet, & ipse Christum obvium habuit, & quidem è cruce sibi loquentem. Multum igitur se aberrasse animadvertens aliam viam deinceps ingressus est, & fabri fieri sibi ex auro crucem fecit illi geminam, quam nuper viderat. Hæc signa vix intulit Agarenis, cum nobilem victoriam abstulit. Sed, quod mirere, victori bellum alterum, bellum crudele mater movit, quæ pietatem filii, quâ fractos pedibus aureos argenteosque DEOS pauperum manibus in spoliis iussit cedere, sub impietatis nomine ream egit. Sed victo omnibusque tormentis exercito patronus cum Cælitibus Christus adfuit, & sanguine jam suo pulchrum sacrâ undâ amplius lavit, & abhinc PROCOPIVM dixit. Atque hic ille PROCOPIVS est, qui unus contra omnes carnificum manipulos sterit, qui que prius quàm gladio cervicem ipse, sibi Tyrannum non unum subiecit. Qua in re iterum Paulo similem illum rectè dicemus; in illo etiam superiorem, quòd Christo moriturus filius matrem peperit. *Ex Metaphr.*

Si invenis melius, quàm videre faciem DEI, illuc te prepara: ve tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quàm est ille, à quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. S. August. in psal. 43.

S. CHI-